



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Quid concedat Bulla quoad celebrationem Missæ in Oratoriis privatis extra  
tempus Interdicti, parag. 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40132**

## §. III.

*Quid concedat Bulla, quoad celebrationem Missæ in Oratoris Privatis extra tempus Interdicti.*

1. **B**ulla præter dictum favorem valendi celebrare, vel facere celebrare tempore Interdicti in Oratoris privatis, concedit etiam in iisdem eundem favorem extra Interdicti tempus. Sed de hoc ego latè egi in Opusculo de Sacrificio a Missæ, quare non est id cum molestia Lectoris hic repetendum.

*a In Opusculo de Sacrificio Missæ. l. 1. c. 4. §. 4. à n. 36.*

## §. IV.

*An per Bullam possit quis erigere Oratorium privatum, in quo celebretur sine alia Pontificis licentia.*

1. **A**ffirmat b Castropalaus his verbis: *Bulla ergo, inquit, concedit sumenti ipsam, ut possit habere privatum Oratorium, & in eo celebrare Missas, vel celebrari facere, dummodo Oratorium, sit divino tantum cultui deputatum, & ab Ordinario designatum juxta formam in Triad. sess. 22. in Decreto de Celebrandis Missis præscriptam, & dum eo quis utitur, fundat preces pro unione Christianorum Principum, & eorum contra Infideles victoria. Hæc ille, cui assentitur Ludov. c. à Cruce.*

*b Castrop. de Bull. disp. un. p. 6. n. 2. sine.*

*c Lud. à Cr. de Bull. d. 1. c. 5. du. 1.*

*d Trull. de Bull. l. 1. §. 3. dub. 4. e Galleg. de Bull. ca. 4. dub. 31.*

*f Dian. p. 9. tr. 1. ref. 23. g Mendo d. 6. c. 1. nu. 6.*

2. Ratio fundamentalis hujus sententiæ est, quia in Bulla expressè conceditur, ut in privato Oratorio, (visitato utique, & designato ab Episcopo) tempore Interdicti celebretur, ergo supponitur concedi etiam aliis temporibus non vetitis, quod est minus, juxta Regulam Juris in 6. Cui conceditur quod est plus, conceditur quod est minus. Adde, in Bulla Latina expressè poni sic (etiam tempore Interdicti.) At particula hæc (etiam) cum exprimat casum difficiliorem, supponit, tamquam certum, casum minus difficilem.

Verum hæc sententiã prorsus rejicit Trullench, d Gallegus, e Diana, f Mendo, g qui omnes non possunt (& quidem merito) sibi persuadere, Pontificem velle concedere Privilegium celebrandi Sacrificium Missæ in domo cujuscumque privati, Sacrificium, inquam, quod est summus actus Religionis,

quem exercere in hac vita Fideles possunt, quemque cum summa, & possibili reverentia debent.

3. Hæc ex illis. Sed quia Adversarii possent, has, & similes rationes ex inconvenientia ductas eludere; Illa mihi hæc de re diu cogitanti efficax menti occurrit. Quod Summus Pontifex, dum licentiam concedit, ut etiam Interdicti tempore celebrari valeant Missæ in Oratorio privato, supponit, Oratorium jam esse alias ab ipso, vel ejus Delegato concessum, non autem per Bullam concedit. Sicuti cum dixit, ut notavimus modo §. 2. nu. 2. Concedo, ut habens Bullam possit celebrare in Ecclesia, etiam tempore Interdicti; supponit jam constitutam esse perfectè Ecclesiam, non enim per hæc verba constituit. Ita in casu nostro. Perfectè autem constituta supponitur Ecclesia, quando non solum materialiter, sed formaliter etiam est perfecta, hoc est, legitimè, ad Sacrificium Missæ in ea celebrandum, ab habente potestatem approbata.

## §. V.

*An Commissarius Cruciatæ possit prædictum Oratorium perfectè constituere, seu concedere?*

1. **D**uæ hic sunt sententiæ. Altera negat cum Diana h aliique, atque adeo negat, Commissarium Generalem Cruciatæ h Diana posse concedere facultatem, ut quis in Oratorio Domus suæ celebret, vel faciat celebrare. Ratio potissima est, inquit, quia non in Bulla apparet, Verbum ullum in Bulla, etiam Originali, Cruciatæ, per quod Summus Pontifex hanc facultatem Commissario, quamvis Mendo Generali, communicaverit. Adduntur alia Rationes, quæ certè non ita efficaces judicantur, perinde ac prædicta.

2. Altera concedit, i modo Oratorium, antequam in eo celebretur, visitetur, & deputetur ad Divinum Cultum ab Ordinario. Ratio hujus sententiæ est, Prima, quia Petrus de Lara k inter cæteras facultates Commissarii Generalis recenset hanc: *Item possumus concedere licentiam, ut quis celebret, vel celebrare faciat in Oratorio privato, quod prius fuerit ab Ordinario visitatum.*

3. Secunda, quia idem Mendo, & Gallegus legus